



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

XVIII. Potest quis ius quod habuit, suo amittere facto.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

ANNO  
 CHRISTI  
 1179.

fic se in omnibus vestrae religioni coaptent, ut quemadmodum se gaudent in societate ordinis, mutatione habitus & obseruatione regulari assumptos, sic etiam in paritate temporalium rerum se latentur vestris institutionibus conformatos. Sane si super possessionibus ipsis in aliquo de monasteriis vestris apostolicae sedis auctoritas dispensauit, a nullo vestrum sumendum est exemplum: quia temerarium est penitus & absurdum & indignum, aliquem sua sibi auctoritate praesumere, quod Romana ecclesia alicui monasterio, certa ratione inspecta, singularibus voluit beneficiis indulgere.

C A P. XVI. *Rhemenfi archiepiscopo.*

Cum H. diu vinculo excommunicationis fuisset adstrictus, tandem praestito iuramento, quod exinde iudicio ecclesiae stare deberet, beneficium absolutionis obtinuit: sed continuo ad sedem apostolicam post absolutionem appellauit: & anno transacto ultra, per se vel per alium appellationem prosequi contempsit. Quoniam igitur derisorie appellare videtur, qui appellationem interpositam non prosequitur, fraternitati vestrae per A. S. praesentibus mandamus, quatenus vtraque parte coram te conuocata si tibi constiterit, quod tanto tempore appellationem prosequi contempserit, tu ipsum iudicio tuo stare sub excommunicationis distractione compellas.

Potest aliquis appellare, per se, & per alium: nec per se, nec per alium, per se, non per alium: per alium, non per se.

C A P. XVII.

Eius qui modo vult recedere ad priorem uxorem, quam prius negauit, ecclesia testimonium non recipit: quia variavit verbum suum, & contra semetipsum testimonium tulit, & abstulit sibi fidem in vtroque, ut coniugii sacramentum ad inuicem non esse videretur, & opus carnalis commercii contradiceretur.

C A P. XVIII.

*Vir potestatem sui corporis non habet, sed mulier: nec mulier potestatem sui corporis habet, sed vir.* Potest ergo vir siue mulier peccato suo facere, ut potestatem in corpore alterius perdat: sed facere non potest, ut alteri potestatem sui corporis, quantum in se est, tollat. Quod suum ius est, perdere potest:

*Concil. Tom. 27.*

Yyy



quod suum non est, tollere non potest. Si faciat ergo, vt debitum suum in corpore alterius iure exigere non possit: non tamen facere potest, vt debitum alterius in suo corpore negare possit.

ANNO  
CHRISTI  
1179.

## CAP. XIX.

De voto peregrinationis an eleemosynis possit, vel per alium redimi, tibi nihilo minus respondemus, quod ab eius qui præsudet, dependet arbitrio, vt consideret & attendat diligentius qualiratem personæ, & causam commutationis, scilicet, an id ex infirmitate seu affluentia diuitiarum contingat: & vtrum peregrinatio, an recompensatio vtilior sit, & Deo magis accepta, & secundum hoc debet exinde dispensare.

CAP. XX. *Rhemensi archiepiscopo.*

Cum Christus perfectus sit Deus & perfectus homo, mirum est qua temeritate quisquam dicere præsumat, quod Christus non sit aliquid secundum quod homo. Ne autem tanta in ecclesia Dei possit nequitia suboriri, vel error induci: fraternitati tuæ, &c. quatenus conuocatis magistris scholarum Parisiensis & Rhemensis & aliarum ciuitatum, auctoritate nostra interdicas sub anathemate, ne quis de cetero audeat dicere, Christum non esse aliquid secundum quod homo: quia sicut Christus est verus Deus, ita verus homo, ex anima rationali & humana carne subsistens.

## CAP. I.

Pars L. &  
ultima.  
Huiusetiam  
titulus in  
archetypo  
desideraba-  
tur.

ETSI quæstiones tuas de feruore religionis exurgere, & te eas ex intimæ deuotionis affectu, quam circa nos & ecclesiam habes, ad nostram deuotionem perferre nullatenus ignoremus, non tamen est vltra, quam oporteat, in huiusmodi dubitandum, cum leges humanæ dicant, quod quidam tenui religione contenti, sacramenta & \* necessaria & legitima exhibere contem-  
nunt. Tenuem enim vocant religionem, quæ in talibus hæsit, vbi non est aliquatenus hæsitandum. Vnde

\*necessa-  
rie & le-  
gitime  
exhiben-  
da,